Morbio 23 (65)

Innocentius eps ſeruus ſeruoꝝ dei Dilecto filio Alexandro de Vicecomitibus cler Mediolaneñ Salt et aplicam ben.

Romani Pontificis prouidentia circumſpecta eccliis et Monaſteriis ſingulis que uacationis incomoda deplorare noſcuntur ut Gubernatorum utilium preſidio fulciantur proſpicit diligenter et perſonis eccliaſticis preſertim generis nobilitate pollentibus ut in ſuis oportunitatibus congruum ſuſcipiant releuamen de ſubuentionis ope prout conuenit prouidet oportune. Sane Monaſterio ſancte Trinitatis de Capitelacus Ciſterciens ordinis Mediolaneñ dioc quod bone memorie Angelus de Vicecomitibus cleris Mediolaneñ Notarius nr ex conceſſione et diſpenſatione ſedis aplice in comendam dum uiueret obtinebat ceſſante huiuſmodi comenda per obitum eiuſdem Angeli qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum adhuc eo quo ante comendam ipam uacauerat modo uacante. Nos uerum et ultimum eiuſdem Monaſterii uacationis modum etiaſi ex illo generalis reſeruatio reſultet preſentibus pro expreſſo habentes ac tam eidem Monaſterio de Gubernatore utili et ydoneo per quem circumſpecte regi et ſalubriter dirigi ualeat quam tibi qui de nobili genere ex utroque parente procreatus et in Decimooctauo uel circa tue etatis Anno conſtitutus exiſtis apud nos de nobilitate generis uite ac morum honeſtate aliiſque probitatis et uirtutum meritis multipliciter comendato ut decentius ſuſtentari ualeas de alicuius ſubuentionis auxilio prouidere uolentes Monaſterium predictum tibi per te quoadvixeris tenendum regendum et gubernandum Ita qd ipius Monaſterii ac dilectorum filiorum illius Conuentus ſupportatis oneribus de reſiduis illius fructibus redditibus et prouentibus diſponere et ordinare libere et licite ualeas ſicuti ueri ipius Monaſterii Abbates qui protempore fuerunt de illis diſponere et ordinare potuerunt ſeu etiam debuerunt Alienatione tamen quorumcunque bonorum inmobilium et precioſorum mobilium dicti Monaſterii tibi penitus interdicta de fratrum nrorum conſilio aplica auctoritate comendamus curam regimen et adminiſtrationem eiuſdem Monaſterii tibi in ſpiritualibus et temporalibus plenarie committendo firma ſpe fiduciaque conceptis qd dirigente domino actus tuos prefatum Monaſterium per tue diligentie laudabile ſtudium regetur utiliter et proſpere dirigetur ac grata in eiſdem ſpiritualib et temporalibus ſuſcipiet incrementa. Volumus autem qd propter huiuſmodi comendam diuinus cultus ac ſolitus Monachorum et miniſtrorum numerus in dicto Monaſterio nullatenus minuatur ſed illius ac predictorum Conuentus congrue ſupportentur onera antedicta. Quodque antequam poſſeſſionem uel quaſi regiminis et adminiſtrationis ac bonorum dicti Monaſterii te in aliquo immiſceas in manibus Venerabilium fratrum nrorum Cumani et Cremoneñ Eporum ſeu alterius eorundem fidelitatis debite ſolitum preſtes iuramentum iuxta formam quam ſub bulla nra mittimus interclusam quibus et eorum cuilibet per alias nras litteras mandamus ut a te nro et Romane ecclie nomine huiuſmodi recipiant ſeu recipiat iuramentum. Quocirca diſcretioni tue per aplica ſcripta mandamus quatinus curam regimen et adminiſtrationem huiuſmodi ſic per te uel alium ſeu alios exercere ſtudeas ſolicite fideliter et prudenter qd Monaſterium ipm Gubernatori prouido et fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſum tuque preter eterne retributionis premium nram et predicte ſedis benedictionem et gratiam exinde uberius conſequi merearis. Dat Rome apud Sanctumpetrum Anno Incarnationis dominice Milleſimoquadringenteſimooctuageſimoquarto Sexto Non Martii Pontificatus nri Anno Primo.

Mar

A. Inghirammus

P. de Caſtello

A. de ...

P. de ...

F. de Simbaldis Proton..

Saxo

Morbio 23 (65)

1484. VI Nonas Martii
Papst Innocenz VIII für Alexander
de Vicecomitibus [illegible] [illegible]
Tristanus de Capitaneis, in
commendam

XXIX 136

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-187211377X-16/fragment/page=0002